nosocomii opem implorarent. Eo fere res redactae fuerant, ut portae huius omnium miserorum asyli per aliquot tempus clauderentur. Ast omnia mox in melius vertebantur, quum ad principatum perveniret JOANNES PHILIPPUS a SCHOENBORN, qui ab anno 1642 usque ad annum 1673 regnavit, suique memoriam multis praeclare gestis immortalem reddidit, & praecipue, quod erexit Orphanotrophium, atque JULII Nosocomium ad florem evexit maiorem. Hoc nullo sane tempore rem suam ita auxit, ut eo ipso tempore, quo ex aere alieno maxime laboraverat. Qui tum oeconomiam Nosocomii curavit, fundos & agros venales pace composita coemit, & licet has versura solveret, atque maius aes alienum conflare videretur, mox tamen docuit, quid unius viri intelligentis & strenui probitas efficere valeat. Post aliquot lustra iam aes alienum fuit dissolutum, & opes Nosocomii adquisitis novis praediis tantae, quantae numquam antea, fuerant.

Ceterum in Nosocomio statuta observabantur, quin novi quid adderetur. Fiducia tamen, quam in herbarum & aquarum ex iis destillatarum virtutibus Medici & aegrotantes posuerant, collabi & evanescere coepit: immo Medici praeiudicatas opiniones evellere, & abusus varios abolere conati esse videntur. Praeter venae sectiones atque cucurbitulas, aquas ex herbis destillatas, herbarum infusa & decocta, balnea, suffitus, quae ut plurimum a mulieribus in ipso Nosocomio parabantur, iam alia quoque medicamina circa annum 1670 a medicis ordinata fuere, quae tamen, usque dum anno 1680 medicaminum officina in ipso Nosocomio exstructa esset, ex pharmacopoliis in urbe florentibus arcessebantur, aegrisque in eo versantibus porrigebantur.

§. 4.

Anno 1686 regnante GODEFRIDO de GUTTENBERG Nosocomium severam expertum est inquisitionem, quum

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK HEIDELBERG http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/annales_instituti_medico_clinici_wirceburgensis1799/0044 gefördert durch die DFG
© Universitätsbibliothek Heidelberg